



## † Pl. R. P. Petrus Wiener (1874-1932)

*(Vice-Prov. Argentinae)*

Audito Patrem Wiener e vivis sublatum esse omnes rei conscii exclamarunt: « Quanta calamitas Vice-Provinciae Argentinae, quae Superiorem tam bonum, tam capacem et hucusque pleno vigore fruentem amittat! »



Pl. R. P. Wiener eodem die, quo octo annis ante eius in munere praedecessor, Pl. R. P. Mathias Meier<sup>1</sup>, mortuus est, pridie festum S. Clementis nostri, cuius singularem similitudinem in vita sua manifestaverat.

Etenim P. Wiener erat vir mire operosus, zelo animarum ardens, magna consilia mente volvens atque audacter efficienda suscipiens, bonitate et affabilitate omnium animos sibi concilians, simul tamen orationi impense deditus. Profecto, si quo tempore bene valebat vitam interiorem neglexisset, in vitae exitu non ita se gessisset, ac reapse fecit. Tunc quidem, quamvis per tres hebdomades febris alta multisque doloribus vexatus ac morbo arcano debilitatus, nihilosecius multoties dulcissimum Iesu nomen invocabat aliosque pios actus eliciebat et in medio delirio quasi unice rebus sacris occupatus erat. Et sicut S. Clementi tunc ipsum moriendum fuit, cum desideriorum metam, dilectissimi Instituti in patriam admissionem, attigerat, ita et P. Wiener demum in mortis lecto rescit Vice-Provinciae peculiarem studentatum, cui negotio tantopere adlaboraverat, a supremo Congregationis Moderatore approbatum esse. « Si bene valerem », tunc inquit, « in laetitiae signum saltum darem »! Tamen in his rerum adiunctis ne momentum quidem haesitavit vitam Deo in sacrificium offerre, et libens volensque id fecit.

Petrus Wiener in vitam terrestrem ingressus est Aquisgrani, in parrocchia S. Petri, d. 3 Febr. 1874, dignus filius huius « antiquae urbis imperialis », ob incolarum — utique non cunctorum — pietatem celebratae. Pietatis virtutem etiam erga familiam suam semper exercuit, ita ut post eius obitum frater Hubertus scribere potuerit: « Petrus mortuis parentibus nostris amatissimis nostrum erat solamen ac columen, spes nostra

<sup>1</sup> De eo cfr. *Analecta* III (1924), 221-223.

et omnia. Licet a teneris annis urbi patriae valedixisset, tamen omnes res nostrae valde ei cordi erant. Testis est continuum eius litterarum commercium cum cunctis fratribus ac sororibus. Quoties sapientibus suis consiliis nobis adstitit! Equidem dilectionem fidemque a Petro semper mihi ostensam nunquam obliviscar».

Aquisgrano itinere horae distat oppidulum Vaals, in cuius vicinia, in praedio «Auf der Esch», Provincia Germaniae Inf. a. 1880 iuvenatum suum aperuit, quem triennio post transtulit iuxta domum Congregatorum, Vaalsii in ipso Hollandiae Germaniaeque confinio iam a. 1873 conditam. Eo igitur Petrus noster, cum ad familiam Alfonsianam se vocatum sensisset, a. 1889 se contulit et in hoc Collegio Iosephino divinae vocationis germina diligenter excoluit. Qui haec scribit, Petrum Wienen ibi a. 1893 primum vidit, penultimi anni discipulum, qui quidem iam tunc temporis talem se exhibebat, qualem per totam insequentem vitam. Statura erat altus et corpore ita semper erectus, velut si perticam deglutisset. Videbatur esse Superior natus, quadam aura auctoritatis ac non nihil pedanteriae (ut hoc recenti vocabulo utamur) circumfusus; simul tamen comis et affabilis, in pietate, observantia, litterarum studio, in ludendo quoque semper inter primos, ita ut sodales omnes eum veneratione amoreque prosequerentur.

Vota religiosa Epternaci (*Echternach*), ubi tunc novitii Provinciae Germaniae Inf. commorabantur, d. 29 Sept. 1895 nuncupavit, et altiora studia per triennium Pulchriugi in studentatu Belgico, reliqua Augustae Trevirorum eximio cum successu peregit. Quo magis sese futuro ministerio apostolico idoneum redderet, tempus liberum linguis modernis privatim addiscendis dedicabat, id quod postea eum prorsus non poenituit. In delirio quoque ultimae infirmitatis tum hispanice, tum germanice, tum gallice, semel etiam anglice loquebatur. Die 11 Aug. 1900 in cathedrali Trevirensi a clarissimo Episcopo Michaele Felice Korum ordinationem sacerdotalem recepit.

R. P. Wienen, ultimo studiorum anno nondum plane absoluto, in longinquas terras ad *La Plata* flumen sitas navigavit, ubi tanquam genuinus S. Alfonsi filius laboravit usque ad mortem, per octo annos (1901–1909) simplex subditus, per quindecim Superior localis in variis domibus, per alios octo (1924–1932) totius Vice-Provinciae Moderator. Vice-Provincialis bis (1925 et 1930) in Europam profectus est.

Regimen Pl. R. P. Wienen in historia Vice-Provinciae operum susceptorum copia ac magnitudine eminet. Iuvenistarum namque numerus a circiter 30 ad 70–80 crevit. Rosarii magnum illud ac speciosum templum in Matris de Perpetuo Succursu honorem aedificatum, de quo Commentarium nostrum alias rettulit<sup>1</sup>. Ad domos quinque iam exstantes tres novae acces-

<sup>1</sup> *Analecta* XI (1932), 155–158.

serunt: *Tucumán* (1928), *Goya* (1929), *Manuel Ocampo* (1931). Praesertim haec ultima domus est summi pro Vice-Provincia momenti<sup>1</sup>. A Patre Wiennen destinata erat sedes novitiatu, quae quidem iam diu desiderabatur, et talis ineunte a. 1931 inaugurata est. Anno autem insequenti novitii — solum ad tempus, uti speratur — locum cesserunt clericis studentibus.

Eousque clerici Argentini et Uruguayenses, sicut omnium Vice-Provinciarum Americae meridionalis, procul a patria philosophicis ac theologicis studiis vacabant, tum Geistingii in Germania, tum Asturicae Augustae in Hispania, verum inter incommoda haud parva et pauca. Itaque P. Wiennen inde ex a. 1925 strenue condendo peculiari studentatu Vice-Provinciae adlaborabat. Evanuit quidem in auram audax eius consilium in *Villa Alende* novam domum studentatus a fundamentis erigendi; atvero id saltem assecutus est, ut Ligoriana familia in America meridionali primum suum studentatum reciperet.

P. Petrus (sic communiter appellabatur), ut erat zelo animarum flagrans et actuosus, regimine Vice-Provinciae non adeo se absorberi sinebat, ut ministerium stricte apostolicum plane dimitteret. Immo ultimis vitae terrestribus sese quodammodo duplicabat, ac si verba Christi Domini sibi applicasset: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari*<sup>2</sup>. Ita inde ex mense Octobri 1931 exercitationes sacras tradidit Bonis Auris Sororibus Germanicis, tres cursus sacerdotibus, quintum cursum Parvis Sororibus Pauperum in civitate La Plata, et tandem ineunte Febuario Montisvidei Sororibus a Perpetuo Succursu.

Ex eo tempore is, qui cunctis subditis corporis valetudine ac robore praestare videbatur, valde se sentiebat defatigatum, et d. 22 Februarii, quo die secessum menstruum peragebat, post meridiem lectum petere coactus est. Continuo exinde febribus altis tenebatur usque ad obitum, cuius phaenomeni quattuor medici, inter quos omnium celeberrimus Dr. Salomon, Vindobonensis, reperire non valebant, nec post confratris mortem bacteriologi officiales. Die 27 Februarii, quo die exercitia spiritualia in Seminario dioecesis La Plata incipere debuisset, ipse in nosocomium translatus est. Ibi detexerunt diabetem fortissimam (10 %) et pulmonitidem; quibus morbis repressis vel exstintis febris tamen non cessit, et quandoque pulsationes 160–170 in minuto numerabantur. Pie recepit ultima sacramenta iam duabus ante obitum septimanis, et SS. Eucharistia eius panis cotidianus mansit usque ad finem vitae. S. communionem vel in mediis deliriis nocturnis per multas horas occupabatur, veluti dicens: «Curate, ut omnia sint parata. Quando erit hora optima?»

<sup>1</sup> *Analecta* X (1931), 89–92.

<sup>2</sup> Io. 9, 4.

Tandem aliquando redeat necesse est! » Saepe etiam missionales imagines eius menti obversabantur.

Ita Dominus, cum hora circ. 9 diei 14 Martii 1932 venit, servum suum paratum vigilantemque invenit. Tristi mortis nuntio in urbe sparso, numerosi sacerdotes et multi centeni fideles ad corpus mortuum pias preces effuderunt. Quinimmo Exm̄us Iacobus Copello, tum Auxiliaris, nunc Archiepiscopus Bonaërensis, per dimidiam horam omnium ecclesiarum campanis lugubres sonos edi iussit. Ad Missam exsequialem amplius 60 sacerdotes et omnium communitatum religiosarum deputati aderant, et templum nostrum de Victoria pia multitudine plane oppletum erat.

Vivas nunc in Christo beatus, confrater amantissime et amatissime, postquam antea nos docuisti, quomodo in Congregatione et vivere et mori oporteat.